

59.
116
DISPUTATIO ETHICA

De

QUATUOR VIRTUTIBUS
MORALIBUS.

Quam

D. T. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi ac Excellentissimi,

DN. M. CASPARI
EBELII, IN ILLUSTRIS-

SIMA CATTORUM ACADEMIA

Marpurgensi, quæ p. t. Giessæ floret, Logices &

Metaphysices Professoris ordinarii, Præcepto-

ris, Promotoris & fautoris sui ætatem

venerandi.

*Publicè ventilandam exhibet, & exercitii gratia
tuebitur*

JOHAN DANIEL WALDECK,

Wildungâ - Waldeccus.

Ad diem X I. Martii loco horisq, solitis.



G I S S Æ,

Ex Officina Typographica Casparis Chemlini,

clō lō cXXXIV.





THESIS I.



LLUBESCIT de *Virtutibus Moralibus* primariis pauca in Disputationis forma proponere, idque sine verborum pompa, & sine affectata Tulliana elegantia, modo, qui convenitiis, qui in Lycæo disputatorio operam navant.

2. *Virtutem Moralem autem definimus habitum animi, quo affectus & effectus hominis informantur juxta recte rationis dictamen.*

3. Quamvis autem hic variæ Virtutum Moralium divisiones & subdivisiones apud hujus disciplinæ Authores occurrant, nos tamen, quia instituti nostri non est, singula persequi, secundariis divisionibus, quæque sub primariâ continentur neglectis, ex solenniori istâ & primariâ sequentes tantum virtutum Moralium species quatuor assumemus, & paucis delibabimus, quales sunt: *Fortitudo, Temperantia, Liberalitas & Iustitia.*

DE FORTITUDINE.

4. Hic autem in Logicorum senticeta non abibimus, disceptatum an hæc Virtutum divisio satis congruat ad Dialecticas Regulas, an satis contrariè sibi hæc virtutis species opponantur, & quæ alia Logicorum Senatus hic multis disputare posset. Neque in varias vocum acceptiones, Grammaticis indagandas, ubi de *Fortitudine* exordimur,

mur, curiosè hic inquiremus, contenti cā, quæ ad nostrum pertinet institutum, significatione.

5. Obiter tamen notamus, vocabulum *Fortitudinis* usitatus tripliciter sumi. 1. pro *robore corporis*, quando quis à natura fortioribus & firmiter membris, viribusque majoribus ditatus est, quò referas *Nimrod*, fortem seu robustum venatorem coram Domino, *Gen. 10. v. 9. Samsonem*, cujus vires plusquam humanæ memorantur, *Jud. 14. 25. & 16. capitibus. Saulem*, quem scriptura toto populo ab humero suo sursum versus altiore fuisse prædicat, *1. Sam. 10. 23. & alios*. Quam fortitudinem rectè *Physicam*: Illam autem, de qua in præsentiarum nobis sermo, *Ethicam* distinctionis gratiā indigitare possis.

6. Ex qua distinctione nobis in proclivi est respondere ad quæstionem, quæ ab Ethicis hoc loco proponitur: *An fortitudo alicui possit esse noxia?* &c. Fortitudo Physica potest: Ethica non potest. Unde cave inferas. E. fortitudo illa Physica, quæ tamen est donum Dei, & quam scriptura in magnis illis viris, quos jam diximus, tanquam eximium & singulare Dei donum deprædicat, semper erit noxia: distinguendum enim hic inter hujus fortitudinis usum & abusum, & notandus Canon Logicus: Ab eo quod inest per accidens N. V. C. ad id, quod inest per se.

7. 2. Fortitudinis vocabulum sumitur pro temeraria quorumvis periculorum aspernatione, seu audacia. Quod ad vocis distinctionem potius, quam ad veram ejus significationem referendum, & hæc fortitudo vitii potius quam laudis nomine venit, quare etiam ab Ethicis inter *extrema Fortitudinis* refertur, dum illa *Audaciam* (quam definiunt *vitium timendo deficiens & audendo modum excedens*)
& *Timi-*

& Timiditatem (quam definiunt *vitium timendo modum excedens & audendo deficiens*) esse disputant.

8. 3. Sumitur propriè pro ea virtute, de qua jam agimus, cujus hanc damus definitionem: *Fortitudo est virtus, qua in iis rebus, quæ formidiculosa sunt, vel apparent, subeundis, aut repellendis, mediocritatem observare docet, solo honestatis & publicæ utilitatis fine.* Dithmars. lib. 3. syst. Ethic. part. 3. exerc. 2. Vel ut Aristoteles breviter eam definit, *Ethic. lib. 3. c. 6. Fortitudo est mediocritas circa metus & fiducias.*

9. Dividitur fortitudo ulterius in *veram & apparentem*. Quam divisionem etiam distinctionem potius vocis æquivocæ in sua æquivocata dixeris, cum fortitudo apparens non sit fortitudo: illâ enim impelluntur homines ad pericula subeunda vel repellenda apparente aliquo & sine specioso. Differt E. à vera fortitudine *Causa, Objecto & Fine*. Nam

10. *Causa* veræ fortitudinis est rectum rationis iudicium, & liberum voluntatis arbitrium: apparens verò fortitudo ex iracundia, ignorantia, aliisque ex causis proficiscitur. *Objectum* veræ fortitudinis est κατὰ φύσιν φοβερὸν καὶ θαρραλέον (illud quidem primum & principale, hoc verò secundarium & minus principale) quodque reipsa formidabile est, & quod sine periculorum aggressione subire nequimus: Apparentis autem objectum est, quod homini formidabile videri possit, cum reipsa non sit. *Finis* veræ fortitudinis est honestas & utilitas publica: falsæ verò honor mundanus, præmia vel pœnæ &c.

11. *Objectum* veræ fortitudinis solet aliàs constitui triplex. 1. *Singulare*, quale est ira Dei, tonitrua, fulmina, inundationes, & id genus alia. Hoc formidabile autem nondum est adæquatum viri fortis objectum, quia hoc

viro forti, si modò sanæ mentis compos sit, & nisi impius haberi velit, horrorem & tremorem incutere, nec ab ipso subiri debet. 2. *Malum ignominiosum*, quod cum turpitudine & infamia conjunctum, ut dedecus, vitium, infamia, veneficium, adulterium, & quæcunque à propria nostra vitiositate pendent. Neque hoc malum verum veræ fortitudinis objectum, quia 1. jubente *Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 6.* honestum est, ejusmodi, quod turpe est, ut infamia, metuere. 2. quia ad mediocritatem reduci nunquam potest: est enim per se & sua naturâ malum; cum tamen omnis virtus, omnisque virtutis objectum in mediocritate consistat. 3. *malum κατ' ἀνδραγαθόν* seu indifferens, quod præter culpam, meritumque nostrum nobis evenit, ut paupertas, diuturna servitus, invidia, calumniæ, orbitas, morbus & denique præcipuè mors ipsa, quæ omnia ita sese habent, ut ab homine ferri possint. Constituunt igitur adæquatum Fortitudinis Objectum, quia circa illa mala formidabilia præcipuè metum mortis fortitudo munus suum exsequitur.

12. Alias Fortitudinis divisiones, quibus vera Fortitudo dispescitur in *Togatam & Publicam seu Bellicam*, Apparens in Legalem, Militarem, Fiduciariam, Iracundâ & Insciam, jam suo loco relinquimus. Cujusvis speciei Fortitudinis exempla qui desiderat, videat apud Historicos, & Ethicos ex Historicis eadem magno numero colligentes.

DE TEMPERANTIA.

13. Secundo loco agendum nobis de *Temperantia*, quam antequam definiamus, *ἐν μορῶναις* resolvere necesse habemus. Dicitur autem Temperantia à temperando, quod voluptates corporis tēperet ac refrenet. Admodum

dum prudenter Græcè *Σωφροσύνη* q. *Σοφία καὶ τὴν Φρόνησιν*, h. e. mentem & rationem conservans dicitur. Sicut enim intemperantia ingenium, judicium, memoriamque hominis mirum in modum debilitat atq; deperdit: sic Temperantia eadem conservat, confirmat & corroborat.

14. Ubi etiam distinctio Temperantiæ ratione *Objecti*, antequam bene definiri possit, attendenda. Vel enim Temperantia dicitur vires ac moderatio omnium animi commotionum, *Cic. lib. 5. de finib.* & sic ejus Objectum est *generalissimum*, omnis videlicet animi commotio: vel accipitur pro virtute, quæ omnes corporis voluptates ad mediocritatem redigit, sicuti à Plutarcho accipitur, quo modo ejus objectum est *generale*, omnis videlicet corporis voluptas: vel pro virtute, quæ voluptatem ac dolorem ex gustu & tactu proveniente moderatur ac refrenat, quâ ratione Objectum ejus est *specialissimum & adequatum*, videlicet voluptas ac dolor, ex gustu & tactu proveniens. His distinctionis loco præmissis hanc Temperantiæ damus definitionem:

15. *Temperantia est virtus moralis, mediocritatem servans in appetendis & fugiendis corporis voluptatibus, quæ gustu & imprimis tactu percipiuntur. Dithmars. l. supracit. exerc. 3. sect. 1.* ubi 1. expressè loquimur de voluptatibus corporis, quas distinguimus à voluptatibus animi. Voluptas namque animi non est Temperantiæ Objectum. Cape Syllogismū: Illud propriè dicendum est Objectum Temperantiæ, ex quo quis temperans vel intemperans vocatur. Atqui propter voluptates animi, ut propter honorem, sapientiam, virtutem &c. nemoq; temperans vel intemperans dicitur. E. voluptates animi non pertinent ad Objectum Temperantiæ. 2. loquimur de iis voluptatibus, quæ gustu & tactu perci-

perciipiuntur. Non enim voluptates omnium sensuum Temperantiæ Objectum dici possunt, quia voluptates ex visu, ex auditu, & ex olfactu neminem per se, sed duntaxat per accidens temperantem vel intemperantem denominant. Quis enim intemperantem dicat, qui pulchræ aliqujus rei aspectu delectaretur, si modò eam sine proximi damno appetat? Quis item intemperantem dicat eum, qui odore & visu ciborum ac potuum delectaretur, nisi modò voluptate gulam immodicè explendi non gestiret? 3. Addimus in definitione, quod voluptas tactus præcipuum ac immediatum Temperantiæ objectum sit. Idque 1. exinde, quia hic sensuum est communissimus, *Arist. l. 3. Ethic. c. 10.* Gustus verò ad exiguam corporis partem, linguam videlicet, pertinet. 2. quia intemperantes magis afficiuntur tactus quam gustus voluptatibus, ut experientia testatur, majori namque desiderio appetunt ipsam ciborum comestionem vel perceptionem solidam & ingluviem quam illorum sapores.

16. *Objic. 1.* E. omnis exercitatio corporis tollenda est per Temperantiā. R. Non indifferenter omnes voluptates ex tactu provenientes refrenari Temperantiā, ut est voluptas corporis, quæ ex exercitio palæstrico corpori accidit, illa namque modicè adhibita, reddit corpus agile, voluptas item illa, quæ ex frictionibus corporum percipitur, quæ naturaliter bona est, attestante Medicorum turba. Relinquitur igitur, solum illas voluptates tactus moderari Temperantiā, quæ ex cibo & potu &c. oriuntur, & si modum excedant, coercitione opus habent, ut jam pluribus diceretur.

17. *Objic. 2.* Quivis homo cibum ac potum cupiens, sic intemperans dicendus erit. R. Voluptates tactus
sunt

sunt duplices, generales & speciales. *Generales* sunt, quæ homini cum bestiis communes sunt, quibusque æquæ reliqua animalia, ac ipse homo, naturaliter afficiuntur, ut est cupiditas cibi & potus, quæ cibus & potus in genere & simpliciter appetuntur; dicuntur aliàs naturales. *Speciales* sunt, quæ naturâ hominem non afficiunt, sed quibus mala consuetudine, vel prava affectione aut propria voluntate delectatur, quod sit, si immodica quadam cupiditate certum quendam cibum aut potum expetat. In generalibus ratione objecti per se vitium non committitur; non enim peccat homo, quando in sui alimentum cibum & potum cupit. In Specialibus verò pro circumstantiarum diversitate peccari potest. 1. ratione objecti, si quis cupiat ea, quæ non debebat, ut cibum & potum non convenientem. 2. ratione Quantitatis i. e. plus quam debebat. 3. ratione Qualitatis i. e. alia ratione quàm debebat.

18. Hujus virtutis species, in genere consideratæ sunt Frugalitas & castitas. *Donald. lib. 3. Eth. c. 8. p. 178. Frugalitas est temperantia, quæ in gula moderanda occupata est.* Et hæc itidem pro diversitate objecti distinguitur in *Abstinentiam & Sobrietatem*. Illa est frugalitas in cibus, hæc in potu, sumendis modum rectæ rationi, & naturæ cujusvis convenientem, præscribens. *Castitas est Temperantia instruens hominem de non polluendo animum amore illicito.*

19. Occasione Sobrietatis quaeritur: *An qui ex ebrietate peccat, mitius puniendus sit, quàm qui sobrius?* Quaestio hæc variè pro affirmatione & negatione disputatur. Nos nostri habituri rationem instituti, breviter respondemus distinguendo 1. inter *ebrium & ebriosum*. *Ebrium* dicimus, qui aliquando per accidens sese inebriat; *Ebriosum*, qui ex pravo quodam habitu & ex consuetudine gu-

læ serviendi, sese sæpissimè inebriat. Illum mitius quàm so-
 brium: Hunc eàdem saltem cum sobrio, ordinaria videli-
 cet pœna afficiendum esse putamus. 2. distinguimus inter
animum ebrii, qui ἐν προαίρεσι, h. e. de industria, studio &
 proposito peccat: & inter *animum ebrii, qui ἄνδ' προαίρεσι*,
 h. e. sine deliberatione, ex improvise aliquid admittit.
Prius si contingat, ut quis de industria & ex proposito ine-
 briatus sit, & ita peccet, ejusmodi facinus ordinaria pœ-
 na puniendum: peccat enim æquè volenter ac sobrius.
 Quare nihil juvat causam ejus, quod Num. 35. v. 23. illi, qui
 fortuito casu proximum suum interemerat, ad refugii ci-
 vitem refugere conceditur, quia lex illa loquitur de il-
 lo, qui sine deliberatione homicidium commiserit: Hic
 autem ἐν προαίρεσι & nocendi studio suum scelus admi-
 sit. *Posterius* igitur si contingat, ut quis ἄνδ' προαίρεσι de-
 linquat, ordinaria pœna non afficiendus, quia istud faci-
 nus nolenter quasi designavit: quò accedit, quòd ebrius
 furioso & mortuo comparatur, & per consequens in eo
 abest animus & voluntas peccandi. 3. distinguimus inter
 ebrietatem superficiariam & profundam. Hæc à pœna
 ordinaria delinquentem excusat; Illa autem minimè.
 Quia enormis illa & profunda ebrietas hominem ratio-
 nis usu privat, & dolum in delicto, sed non culpam tollit.
 Et hic valet illud vulgare: *Ebrietas excusat à tanto, non à toto.*

DE LIBERALITATE.

20. Ad tertiam Divisionis nostræ speciem nos pro-
 gredi ordo efflagitat, quæ est *Liberalitas*. Hæc autem cum
 non eodem modo sese habeat, sed in duplici differentia
 consistat, prius distinguenda nobis quam definienda: di-
 stinguitur enim in Liberalitatem, generaliter ita dictam,
 & in

& in liberalitatem, specialiter, aliàs Magnificentiam, dictam. *Liberalitas*, absolutè ita dicta, est virtus in dandis accipiendisq; pecuniis modicis mediocritatem servans. *Arist. 4. Ethic. cap. 1. Donald. lib. 3. Eth. c. 3. & ex his Dithm. l. supracit. exerc. 4. sect. 1. Magnificencia est virtus in sumptibus magnis decorè faciendis modum observans, Arist. lib. 4. Eth. c. 7.*

21. Utriusque Virtutis Objectum sunt *χρήματα*, i. e. pecuniæ. Ubi pecuniæ nomen non tantum *εἰδικῶς*, specialiter pro moneta, Regis aut Principis alicujus sigillo signata, sed etiam *γενικῶς*, generaliter, pro omnibus istis sumitur, quorum usus pecunia æstimatur, ut ager, prædium, domus, vestis, & id genus alia. *χρήματα* hæc si fuerint parva, occupatur circa ea Liberalitas, si magna, Magnificencia.

22. Porro hoc Objectum distinguendum in *Materiale & Formale*. Materiale seu remotum sunt *τὰ χρήματα*, in se considerata. Formale seu propinquum est legitimus pecuniarum & facultatum usus, qui consistit in dando & accipiendo. Ratio distinctionis est, quia Liberalitas non è divitiarum splendore aut multitudine, sed ex earundem legitimo usu judicanda est; cùm nihil frequentius, quam ut quò homines opulentiores, eò tenaciores & sordidiores sint, qui proinde avari potius quàm liberalis nomine gaudere debent. Accedit, quod potissimus Liberalitatis respectus ex animo dantis dependeat, quare etiam non tam ex Objecto, quam ex Principio i. e. animo de liberalitate hominis judicandum est.

23. Habet & Liberalitas, ut quævis virtus alia, cùm omnis virrus in mediocritate consistat, sua extrema, quorum alterum in *ὑπερβολῇ* i. e. in excessu, alterum in *ἐνδεΐψει*, i. e. in defectu peccat. In excessu peccat *Prodigalitas*, quæ

est vitium sua temerè profundens. In defectu peccat Avaritia, quæ est vitium in accipiendis retinendisque modum violans. Cujusvis virtutis & vitii, jam definitorum, exempla ex Authoribus magna copia peti possunt.

24. Ast prodigalitatæ definitionem ejusmodi telopetis: Cujus effectus bonus est, id ipsum bonum esse censetur, quia ex effectû arguitur causa, & modus operandi sequitur modum essendi. Atqui Prodigalitatæ effectus bonus est, quia prodigus elargiendo suas facultates proximo suo benefacit, eumque in promovendis facultatibus adjuvat, in quo effectû nihil malitiæ inveniri potest. E. g. 1. ad *Majorem*. Illa vera est de Effectibus per se à causis dependentibus, non verò de accidentalibus, & id ipsum volunt etiam adducti in confirmationem Canones. Ad *Minorem*: Præsupposita illa distinctione in *Majore*, respondemus ad *Minorem*, concedendo, effectum Prodigalitatæ aliquando bonum esse, at non per se, sed per accidens. Atqui secundum commune Philosophorum axioma, Ab illo quod est per accidens, ad illud quod est per se N. V. C. Haud secus, ac si quis ita arguere vellet: Mali mores sunt causa bonarum legum. E. & ipsi boni sunt, quia illi harum sunt causa per accidens. 2. Concedimus, prodigalitatem esse vitium aliquantò lenius & tolerabilius avaritiâ, quia 1. propius ad mediocritatem, in qua virtutis natura consistit, accedit. 2. quia facilius corrigitur, quàm avaritia. Avari namque sunt instar ferarum, quæ se domari non patiuntur. 3. quia, secundum Aristotelem, prodigus multis prodest, Illiberalis seu avarus nemini, imò nec sibi ipsi: Avarus enim quod habet, non habet.

25. Quod in definitione Liberalitatæ, in genere ita dictæ, diximus, eam in dandis accipiendisq; rebus occupari, hoc

ri, hoc ita limitamus, ut formalem liberalitatis rationem
primariò & magis in *ἡμετέριον* erogatione, quàm rece-
ptione ponamus, cum magis viri liberalis sit agere quàm
pati, magis dare, quàm accipere, cum plus laudis merea-
tur dans, quàm accipiens. & cum denique difficilius sit
dare quàm accipere, quæ virtutis requisita hoc fere mo-
do ab *Aristotele* recensentur *lib. 4. Eth. 1. lib. 2. Eth. 3.* Opta-
bilius namque est suam messem alteri largiri, quàm alie-
nam decerpere, inquit *Bion apud Laertium lib. 6. c. 2.* Exer-
cetur itaque liberalitas etiam in accipiendo, in quantum
liberalis discretionem adhibet, unde sit aliquid accipien-
dum, unde non: quantum item sit accipiendum, quan-
tum non: quomodo etiam accipiendum, quomodo non.
Exemplum infigue exhibetur nobis in Rege Alexandro
& Philosopho Xenocrate. Ille mittebat huic 50. talenta;
Hæc cum Philosophus recusasset, dicens: sibi non esse o-
pus, interrogavit Rex Philosophum, num igitur amicos
haberet, iussitque eum istis pecuniam dare. Ecce egregia
in egregiis viris Liberalitatis exempla. Ille Liberalitatem
suam dando; Hic oblatam pecuniam renuendo edocuit.
Noverat ille, decorum esse, si vir liberalis multa donet;
Hic, indecorum esse, si multa accipiat.

26. Ex definitione Magnificentia, quam dedimus
th. 20. hæc duo elicimus consecutaria. 1. *Quod Magnificen-
tia non cadat in plebejum.* Ratio data in thesi, quia hæc virtus
in magnis expensis & sumptibus consistit, quibus cum in-
ferioris sortis homines non sint instructi, magnifici dici
non possunt. Tum etiam licet maximis copiis ejusmodi
homines instructi forent, minimè tamen elogium tam ex-
cellentis virtutis mererentur ob admixtas sordes. *Patrit.
de reg. lib. 3.* Denique plebejus magnos suos sumptus ero-

gat non *ἡ ἀλαζονεία*, ut requirit *Philosophus lib. 1. mag. Moral. cap. 1.* sed ostentationis suæ & jactantiæ gratiâ. Relinquitur igitur, hanc virtutem Regibus ac Principibus, adeoq; spectatissimis hujus mundi Dynastis tantum competere, qui & sumptibus valent, & divitiarum usum norunt. Exemplo sit *Alexander Magnus*, qui Aristoteli pro historia Animalium donavit octoginta talenta, quæ in nostra moneta valent millia quadringenta octoginta coronatorum aureorum. Sic de *Ludovico 11. Rege Gall.* historiæ produnt, quod Medico singulis mensibus stipendium constituerit decem aureorum millia.

27. 2. Quod non statim magnificus dicendus, qui magnos impendit sumptus; debent enim sumptus proportionem habere cum persona & operibus, in quæ impenduntur; Et qui magnifici nomen mereri studet, de suo, non de alieno, quod ex raptu vel aliunde malâ arte acquisivit, liberalis erit. Non enim facienda mala, ut inde eveniant bona. *Rom. 3. v. 8.* Nec tantum bona sunt facienda, sed & bene, i. e. juxta modum in sacris literis præscriptum.

DE JUSTITIA.

28. Ultima nobis superest nostræ divisionis virtus, *Justitia*, de qua pauca. 1. Non accipimus vocem *Justitiæ* pro *justitiæ* umbra & imitatione, quatenus etiam irrationalibus competit, quia agimus de iis virtutibus, quæ reddunt hominem Ethicum, seu moraliter bonum. 2. Neque intelligimus *Justitiam* in genere ita dictam, quæ est obedientia erga omnes leges, atque sic universas leges sub se comprehendit: ita enim *Justitia* æquè latè patet ac ipsa virtus: non est species virtutum, sed ipsa omnium virtutum series. Quare distinguunt Ethici inter *Justitiã Universalem & Particularem*. Illa est, qua omnibus legibus obedi-

entia

entia præstatur. Hæc, de qua nunc agimus, est virtus, qua bona aut mala ad societatis humanæ conservationem legitime & æqualiter pro meritis communicamus & tribuimus. Vel secundum J Ctos: *Est constans & perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi*. Distinguuntur 1. *Objectis*. Justitiæ enim particularis objectum sunt bona vel mala externa, 2. *Actionibus*. Actiones enim ejus sunt commutare vel distribuire, 3. *Fine*. Qui est servare æqualitatem in commutando & distribuendo: At Universalis Justitiæ Objectum, Actiones & Finis sunt eadem illa, quæ singulis virtutibus moralibus competunt.

29. Objectum autem istud Justitiæ particularis, quod diximus esse bona & mala, cuius pro meritis tribuenda, ut eò distinctius cognoscatur, observandum, quod non tantum *Bona* sint *triplicia*: *Animi, Corporis & Fortuna*. Animi, ut virtus, doctrina, scientia. Corporis, ut sanitas, robur, pulchritudo. Fortunæ, ut honor mundanus, divitiæ, dignitates: sed etiam *mala duplicia*: *Culpa & Pœna*. Culpæ, ut homicidium, adulterium, incestus, furtum, & quæ alia vitiorum colluvies continet. Pœnæ, ut suspensio, decolatio, ossium fractio, suffocatio &c. Dicimus ergo, Justitiam versari tantum circa bona fortunæ, & circa mala pœnæ.

30. Pro Coronide quaeritur hîc: *An volenti fiat injuria?* Tantum non in proverbium abiit sententia illa: *Volenti non fit injuria*. Ea quæ est ipsius *Aristotelis lib. 5. Eth. c. 9.* ubi hanc affert rationem: Sicut injuriam facere sit voluntarium & destinarum: sic, vi contrariorum, injuriam pati, esse involuntarium & invitum. Quare volenti non fiat injuria. Hæc tamen sententia simpliciter admitti nequit, quia ipsa experientia & doctorum testimonia reclamant. Distinguendum igitur 1. *Ratione Subjectorum*. Est enim perso-

persona inferens & patiens. Inferens vel novit patientem
 damnum expetere, vel non. Si novit, injuriam ipsi inferre
 rectissime dicitur. Si non novit, volenti injuriam fieri, &
 non fieri dicimus. Fit volenti injuria, si velit vel ex pertur-
 batione, vel ex ignorantia, vel ex alio affectu quodam
 pravo, quare 2. disting. inter *voluntatem rectè compositam,*
& defectu laborantem. Huic, non illi, fit injuria. 3. disting.
 inter *voluntatem plenam & semiplenam.* Injuria volenti fieri
 potest non totaliter sed partialiter. Quod patet exemplo
 Martyrum, legitima volitione Martyrium volentium re-
 spectu Dei, nolentium illud respectu Tyrannorum.

COROLLARIA.

- Ethic. 1. *An jus talionis hodie observandum?* N.
 2. *An ἀντιχρησες sint fortes dicendi?* N.
 3. *An ab esu carniū abstinere sit Temperanter vivere,*
& propriè jejunaŕe? N.
 Log. 4. *An Deus sit in Pradicamento?* N.
 Phyl. 5. *An mundus periturus secundum accidentia, an sub-*
stantiam? A. posterius.

SVO IOANNI DANIELI WALDECK.

HÆc age, perge viam, non te deterreat æstus
 Et sudor studii, sic bene doctus eris.
 Hæc quæ proponis cū sint fundamina Juris,
 Contineant quæ in se principium Themidos,
 Dein, *Patris* ex voto, confestim tramite recto
 Ad Juris tabulas pergere ritè potes.
 Maxima nam vera est: *Vbi desinit Ethicus ipse*
Jurisconsultus pergit in arte sua.

Henricus Bangertus.

F I N I S.